Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26020
Copyright: Admont, Benediktinerstift

166

delectabiliter

percipiunt. qui nunc tenebris interiores patiuntur. Ibi erit fletus
et stridor dentium. quia transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium.
a fumo eterni ignis fletum. a nimio frigore patiuntur stri-
dorem dentium. Multi autem sunt vocati pauci vero electi. quia videlicet
multi ad fidem vocantur. sed soli electi salvantur. Due sunt
vocationes. una exterior. alia interior. Per exteriorem multi
per apostolos et predicatores vocati sunt ad fidem. per interiorem pauci
per filium electi sunt ad patrem. Per exteriorem multi pisces sagene
fidei inheserunt. quos electores iterum [...] foras miserunt. per interio-
rem pauci latuerunt. quos in vasa ele[...]gerunt. Nunc sunt reprobi
permixti electis. ut palee granis. Christo autem cum ventilabro ve-
niente palee excusse igni inextinguibili tradentur. gra-
na autem in horreum dei congregabuntur. Et nos dilectissimi ad nuptias
dei cum multis vocati sumus. studeamus bonis actibus ut cum
paucis electi simus. Prandium nobis cotidie paratur. dum sacra
scriptura cum corpore Christi nobis proponitur. Tauri ad hoc c[...] con-
vivium occisi sunt. quia apostoli tauri gregis domini pro invita[...]tione
harum epularum extincti occubuerunt. Ad hoc et convivium
altilia occisa sunt. quia quoque ad celestia mente convolantes pro his
epulis prostrati sunt. Tauri quoque persecutores fuerunt. qui cornibus
crudelitatis fideles ventilaverunt. sed Christo veniente iam ener-
vati sunt. Volatilia autem heretici sunt extiterunt. qui quondam ad alta
volaverunt. quando in celum os posuerunt. et iniquitatem in excelso
contra dominum locuti sunt. sed a catholicis victi et exterminati sunt. Et
quia hec omnia per Christum potentiam sedata. omnia sunt nobis ad salutem
parata. Ideo ob nulla negocia negligamus. quin tota festi-
nantia ad epulas dei veniamus. Dei quippe convivium est peren-
nis vite gaudium. Ad hoc currit. quisquis dei precepta imple-
re satagit. De exitibus viarum vocati ad nuptias iam dis-